

[123r] Post prandium prae nimia pluvia quiescendum fuit. Die 22 illustrissimus dominus mane audita missa se contulit ad ecclesiam parochialem Sanctorum Simonis et Iudae loci Villae, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Simone Ioanne Giovannoni parochus et a populo. Omnia de more peregit et visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime detinetur, eoque parochus populum benedixit.

Baptisterium etiam sufficienter asservatur. Tria sunt altaria: maius dictis sanctis dicatum; 2. a cornu Evangelii, Animarum Purgantium; 3. ex altera parte, sanctissimi Rosarii. Nullum adnexum est missarum onus et manentur cum ecclesia et sacris suppellectilibus a communitate et populo consuetis eleemosinis. Tam ecclesia quam altaria et sacristia omnia quippe munda sunt. Unde illustrissimus dominus laudavit pietatem populi et rectoris diligentiam erga ecclesiam.

Parochus ultra applicationem missae pro populo in quolibet die festo celebrare debet missas 47 pro duabus stabilibus.

Annui redditus parochi demptis expensis librae 723. Familiae sunt 109. Sacerdotes 17. Animae 495. [123v] Altare privilegiatum altare maius.

Successive ego infrascriptus visitavi oratorium Sancti Rocchi, in quo unum est altare sufficienter retentum, et manentur a populo nec in eo nullum est missarum onus.

Illustrissimus dominus visitavit oratorium seu casazza sancto Antonio dicatum, quod omnibus necessariis munitum reperiit.

Extat aliud oratorium Sanctae Mariae Magdalenaie iurispatronatus ad praesens sacerdotis Andreae Simonetti. In eo erecta est cappellania a quondam sacerdote Simonetto Simonetti, prout ex eius testamento rogato a notario Petro Maria Ansaldi sub die 19 iulii 1650; tum ab eius pronepote aucta, prout ex codicillo dicti Andreae [*sic*] testatoris rogato a Diodoro Giocanti die 25 iulii 1659, qui ambo reliquerunt onus missarum ad arbitrium haeredum; sed cum adhuc non fuerint census creati, don Virgilius filius dicti Andreae [?] assignavit tot stabilia in summa librarum 2500, prout ex actis notarii Petri Antonii 1726, et dictis oneribus fuit satisfactum.

Itaque illustrissimus ac reverendissimus dominus visis omnibus (etc.) ad suam residentiam loci Speluncati rediit.

[...]

[79v] Pro ecclesia parochiali Sanctorum Simeonis et Iudae loci Villae

Intra mensem restauretur argentea clavis, sub poena librarum decem.

Altari Animarum Purgantium intra tres menses fiat novum subpedaneum, sub poena interdicti. Datum Speluncati (etc.), die 26 aprilis 1761.